

*Medica-
menta spa-
gyrica sunt
salubriora
& tutiora
vulgarib.*

Salubriora igitur & tutiora sunt arte Spagy-
ricâ concinnata remedia, quàm vulgari mo-
do præparata: quia in illis purum ab impu-
ro, malignum ab alexipharmaco, corpore-
um à spirituali, inutile ab utili separatum: ac
proinde ventriculum suâ mole non mole-
stant: nec operationes suas differunt; sed ci-
tò cum morbis colluctari incipiunt, eosque
victas dare manus festinanter cogunt. Sic
cerevisiæ defecata salubrior est non defeca-
tâ; sic vinum à tartaro suo depuratum, tutius
hauritur; quàm vinum ex uvis recenter ex-
pressum: sic cibi, seclusis à naturâ excremen-
tis, post multas coctiones, singula corporis
nostri membra nutriunt: sic citius aqua ci-
namomi aut balsamus ejus, in lipothymia,
spiritus reficit; quàm ipsum cinamomum
integrum: sic guttæ aliquot olei anisi plus
præstant; quàm integræ ejusdem uncia.
Vulgus autem præparationes omnes impro-
bat, & integris uti mavult, quàm in princî-
pia sua consumptis; aut non sufficientes
convenientesve adhibet: unde non rarò ar-
grotantes ob devoratas partes noxias, excre-
mentitias & venenatas, unâ cum salutaribus
& utilibus, expugnato morbo, cum sympto-
matis grayioribus postmodum supervenien-
tibus, & ipso priori morbo periculosioribus
confli-